

IMAGO COENOTAPHII AD CELEBRANDA FVNEBRIA FRANCISCI VINDOCINENSIS, DVCIS BELFORTII, ET C. ROMÆ IN CAPITOLINO DEIPARÆ TEMPLO excitati: die Septembris 1669. Eques Berninus inuenit.



4

HONORARII TVMVLI, AC FVNEBRIS POMPAE Descriptio

IN EXEQVIARVM IVSTIS

FRANCISCO VINDOCINENSI DVCI BELFORTIO, &c.

persolutis

Romæ, in Templo Deiparæ Capitolino.

ET ORATIO

IN EIVSDEM FVNERE IBIDEM HABITA

Die , Septembris 1669.

ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinassij M. DC. LXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

LECTORI HVMANISSIMO CAROLVS BOVIVS SOCIETATIS IESV.

Benè, faustèque precatur.



YRAMIDIS imaginem in huius fronte libelli, Lector humanissime, aspexisti. Peruetustum ea fuit, quod ipse nosti, Ægypti barbaræ, at sapientis olim inuentum in alias deinde oras sapientissimè propagatum; ad eos primò immortalitati nominis asserendos, quos naturæ necessitas morti dedisset, pro virtute meritos numquam mori: deinde verò ad superstites etiam ea saucios iactura aliquo perstantis monumenti solatio demulcendos; atque ad ingentes, æternosque posteris omnibus per prçclara Heroum exempla stimulos subijciendos ad gloriam. Cui verò, & quo nomine, atque vbi loci hæc excitata sit Moles, subiectis ibi pauculis indicatum est vocibus. Est cur hoc ipsum velis audire distinctiùs: Accipe: sed & in hac narratione breuissimè; quem nimirum ad alia strictim ex Inscriptionibus, ad alia luculentiùs ex funebri laudatione cognoscenda reseruo.

FRANCISCO VINDOCINENSI DVCI BELFORTIO Marteghesiorum Principi Rei maritimæ vniuersæ Regis Christianissimi Præfecto, Ducique Classis Pontificiæ Generali stetit hæc honorarij Tumuli moles, ad eius honestanda in Capitolino Deiparæ Templo funebria, quem audente, ardenteque animo Turcas in suis ipsorum ad Cretam septis aggressum, eosdemque toto turbantem impetu, & consternantem, incensus fortè bellicus puluis deturbauit è viuis: more nimirum fulminis extinctum belli, sternendo, qui interritus semper, & inuictus fulmen fuerat belli, dum viueret. Fleuit illum Creta, fleuere Venetiæ, fleuit Gallia: illæ quidem fortissimum Ducem, Propugnatoremque suum in ipso etiam funere immortalem: hæc verò Ciuem dulcissimum, ac Germen Regij sanguinis longè clarum, & inclytum: cuius à militari cum primis virtute tantum ipsi laudis, & gloriæ, tantum etiam, ac toties insignium victoriarum

accesserat. Sed illum flere ante alias Vrbes omnes, & plus Vrbibus, Regnisque omnibus debuit Roma; quæ, quia veræ Fidei, ideò & Mundi Caput, ereptum illum sibi, hoc est Vicariæ Christi Sedi tantum in vno BELFORTIO, aduersus communem Christianæ Reipublicæ, suumque maximè hostem, ademptum robur, atque præsidium acerbo animi dolore cum sentiat, si minus pari, quam spectare possint oculi, significatione, at arcano certè affectu cordis haud impare, velut intimè doluit, sic etiam extimè honesta hæc, debitaque illi impendit officia solemnium lacrymarum. Locum adeò, publicum delegit ad luctum, eundem illum, quem Romani olim Consules, Cęsaresque decreuerant ad triumphum. Et hoc Propugnatoribus suis contulit vera Fides, vt quos pro ipsa extinctos fortiter, cælestium Heroum cœtibus insertos credit, ac sperat, pro his ipsa lacrymas etiam in terris habeat triumphales.

Iam verò eruditus ipse, prudensque, non me, Lector, hìc expetis, aut expectas Interpretem; à quo nimirum audias, quid sibi Pyramis illa velit trophæis ex vniuersa belli, militumq; supellectile, iusta, solidaque mole fabrefactis, montisque iugo affatim proseminatis imposita: Quorsum illam inibi quatuor laruatæ Mortis Simulacra, manibus pariter, viribusque connixa stabiliant: Quamobrem etiam arduæ Moli pennatæ Famæ circumuolent: qui nempe probè scias, Trophæa ex hoste ab vna virtute referri: ad quæ in edito posita labore tantùm, ac vi, per aspera, & abrupta quisque connititur: ac veram demum, staturamque Famam, & Gloriam tunc modò parari terris, ac Cælo, cum conspicuæ laudabilis vitæ luci ipsa etiam spectabilis vmbra decorę mortis assenserit. Quo quidem assensu cum virtutis vtramq; paginam à BELFORTIO expletam Fama longè, latèque vulgauerit, spectandum id oculis hac ipsa, quam inuenit, mole, erudito veluti hieroglyphico aptè, sciteque proposuit Eques Berninus: cuius non minus ingenium, atque iudicium inuentis prodit se se animosis item, atque ad argumentum semper appositis, quàm ipsius manus, & scalprum in exculptis ab se mirificè, spirantibusque, &, si credas oculis, loquentibus simulacris appareat.

Sed illud fortasse rogas, qua materie, qua magnitudine compacta sit Moles; cuius formam tute in ipsa planè vides, ac digno-

gnoſcis imagine. Materies vniuerſi operis, tum in Pyramide, cum in baſi, quà ſolidum ipſum erat, ſapphirinum, vti vocabant veteres, lapidem lazuli, vti recentiores appellant, cæruleo colori venas admiſcentem aureas aſſimulabat: quà verò in ſurgentibus ad quatuor angulos pilis, earumque elegantibus coronis, perpulchris etiam, prægrandibuſque Signis ornatui ſeruiebat, æs oppidò nitidum imitabatur. Sed Anaglypha, quibus, ex falſo Picturæ, prælia terra, marique à BELFORTIO geſta, egregia Artificũ manu in Pyramide cernebantur expreſſa; & ipſi Elogiorum characteres in Pyramide item, ac baſi, vtraque quadrifronte deſcripti, extantis auri ſpeciem faberrimè referebant. Magnitudo Molis tanta fuit, quantam Aracælitani Templi area media, impoſitumque illi lacunar capere ex arte potuit: cuius faſtigio ſupremũ addebat decus BELFORTII pręſtantiſſimum Simulacrum ære, auroque præfulgens; Ducemque ipſum ſtringentem dextera gladium, læua ſignatum Cruce clypeum ſuſtinentem, plenum ingentis animi, plenum ardoris bellici repræſentans. Ita Romani Capitolij Templum eius gloria magnificè implebatur, qui Romanam Chriſti Eccleſiam ſuis plurimis, ingentibuſque promeritis, vti aliàs vita ſæpiùs, ità etiam ſua demum morte luculenter impleuerat.

Nullæ in ipſa Mole arſerunt faces, quæ circum ipſam in maioribus argenteis candelabris, atque in interiore Templi ad luctum vndique atrati corona, grandes, crebræque fulſere: ne ſpectabili per ſe ſe, plenoque Regiæ majeſtatis Cœnotaphio, ſui luminis interiectu, importunam ipſæ faces vmbram offunderent. Spectatum Roma coijt vniuerſa: quam vti ex amiſſo Belfortio dolor, ità ex impenſo illi honore tam iuſto, tam pulchro, gaudium ſimul, & admiratio perculere. Pia exequiarum officia perſoluta illi ſunt priuatis plurimis Sacrificijs die . Septembris, Salutis anno milleſ. ſexcenteſ. ſexageſimo nono. Solemni verò ſacro, ad Pontificij Sacelli Cantorum melos, litauit Archiepiſcopus Damaſcenus, & Sacri Pontificij Palatij Præfectus, Bernardinus Roccius: quatuor ad abſolutionem Antiſtitibus aggregatis. Honorario Tumulo coronam auguſtam, ſacramque fecere purpurati Senatus Eminentiſſimi Patres: Antiſtites, ac Romanæ Curiæ Præſules ferè vniuerſi: Senator & Conſeruatores Vrbis cum flore Romanæ nobilitatis, & Aulæ

denſiſ-

densissimo item, atque lectissimo. In eadem quoque Panegyri BELFORTIVM de suggestu facundè, magnificèque laudauit Orator. Ita plusquam albis camporum Lilijs natura, Lilijs Gallorum aureis Gratia concessit; vti nempe, si illa suas habent lacrymas, sed eas, quibus etiam, Plinio teste, seruntur; quò nihil eorum perennitati possit officere, quorum proficit fœcunditati vel luctus; Regalibus his floribus, ad ipsorum gloriam immortalem, non propriæ tantùm in Gallia, sed & Romæ lacrymæ conferant alienæ.

Illud sperare à Cæli pietate iam restat, fore nimirum vt, quemadmodum falsa Numina creditus est placasse Romanus ille Curtius, postquam in hiantis terræ barathrum suo se agens in equo præcipitem, pro Patrię salute suum ipse caput animosè deuouit; ita summi, verique Numinis beneuolentiam ipsius populo, aduersus Fidei hostem BELFORTIVS conciliet, cui se ipse tam vltrò, quàm fortiter, pro Christiana re, deuouit Victimam coronatam. Adde, Lector, piæ huic spei tuarum precum constantiam, & ardorem: atque ab amantissimo Salutis nostræ Vindice Christianæ Reipublicæ commune hoc, iustissimumq; votum exora.



In quatuor Pyramidis, ac basis illi subiectæ frontibus Inscriptiones hæ totidem legebantur.

In

In Pyramide.

I.

ADESTE LACRYMÆ, DOLOR ASSISTE.

FRANCISCVS
VINDOCINENSIS,
DVX BELFORTIVS,
MARTEGHESIORVM PRINCEPS,
REI MARITIMÆ VNIVERSÆ
REGIS CHRISTIANISSIMI PRÆFECTVS,
ET CLASSIS PONTIFICIAE GENERALIS,
MARTIS A PVERO MILES,
MILITIÆ AB AVIS MARS,
DVM TVRCAS IN SVIS AD CRETAM SEPTIS
CONSILIO AGGREDITVR,
VIRTVTE STERNIT, AC FVGAT,
TORMENTARII PVLVERIS
INCENSIONE FORTVITA
IN AMPLEXV GLORIÆ
VICTOR EXTINGVITVR.
OBIRE TANTVS HIC POTVIT?
ABIRE TANTVS HINC VOLVIT.
ABESTE LACRYMÆ, DOLOR ABSISTE.

II.

II.

VETERVM GIGANTVM ROBVR
BELFORTIVS HABVIT, NON FVROREM.
BELLA ILLI MOLITI SEMEL IN SVPEROS
SVIS MONTIBVS IVRE SVNT OBRVTI,
QVIA CÆLVM PETERE VOLVERE,
STVLTITIA.
ARMIS HIC SÆPIVS
PRO CÆLO TRACTATIS,
CAVSÆ PIETATE, GRADV IVSTISSIMO,
EXTVLIT SESE SAPIENTER AD SVPEROS.
TESTES ALGERIVM, TVNETVM,
GIGERIVM,
ET FORTIVM VLTIMVS LABORVM,
CRETA.
AVREIS IN HAC PYRAMIDE ANAGLYPTIS
HÆC ILLE DEDIT ARGVMENTA,
DVM VIVERET.
SED MINISTERIVM TAM NOBILE
CVR
MINISTRÆ PERAGVNT TAM FERALES?
GLORIÆ MOLEM PVLCHRIS VITA
FACTIS ÆDIFICAT;
CONSTANTI EXITV SOLA MORS STATVIT.

III.

VOLVCREM VBIQVE FAMAM
VIRTVS CLAVDA NVSQVAM ASSEQVITVR.
PERNICIQVE SEMPER GLORIÆ
PLERVMQVE AFFERT MORA PERNICIEM.
FRANCISCVS BELFORTIVS
MERCVRII DVCES
SORTITVS AVVM, ET PATREM,
SVO MARTI HOROSCOPVM
VEL ACCEPIT, VEL ADSCIVIT IPSE
MERCVRIVM:
CVIVS ALAS AFFIXAS GESTARE
VISVS EST
CAPITI SIMVL, AC PEDIBVS,
QVANDO
COGITATA MENTE CELERITER
PERSECVTVS EST AGENDO PROPERRIME.
ET ADHVC EIVSDEM CADVCEVM
INVICTA SEMPER MANV
PRÆSETVLIT,
QVI GESTIS A SE FORTITER
PRVDENTIAM PRÆROGAVIT
AB ANGVIBVS.

IV.

CONCOLOREM CÆLO MOLEM
HANC VIDES?
CÆLI SIMVLACRVM HANC PVTA.
SVPERIS ADMIXTVS HEROIBVS
CALCAT ILLAM BELFORTIVS:
CÆLVM EST.
SIDERVM TAMEN VICARIAS
ARDENTES FACES
HIC NEMO QVÆSIVERIT,
VBI SOL SEDEM TENET ECLIPTICAM.
MINORA LVMINA
PRIMA LAMPAS EXTINGVIT.
AT ILLE MORIENS ABIIT IN OCCASVM.
MAIOR EST SOLE BELFORTIVS:
VNA SVI NON VVLTVS MODO',
AT SIGNI, NOMINISQVE PRAESENTIA
DIEM PARIT.
IAM NEC TVA, SYENE,
SINGVLARIS EST PYRAMIS;
IN HAC ETIAM CAPITOLINA
NON HABET VMBRA LOCVM.

V.

In Basi.

I.

HERCVLEM VTRVMQVE
THEBANVM MANV, GALLICVM LINGVA
SENSERE IN BELFORTIO
ILLVM HOSTES, HVNC CIVES.
NEMO PROINDE NON CESSIT ILLI
VEL AMORE, VEL VI.
VIRTVTE IN ARDVIS
A PVERO SEMPER EXERCITA,
EVRISTHEVS SVVS ILLI NON DEFVIT,
AMOR IPSE VIRTVTIS.
VTRVMQVE DENIQVE
CEV VITA, SIC MORTE CONSIMILEM
DE FLAMMIS IN CÆLVM SVSTVLIT
OETA ILLVM, HVNC CRETA.
POSTREMI ACTVS
SCENA FVIT HÆC VLTIMA.
PLAVDITE.



II.

IOVIS PATRIAM CRETAM ESSE
QVIS NEGET,
IN QVA, ET PRO QVA
TOT BELLI FVLMINA CECIDERE?
ET FVLMINA MITTENDO, MILITES,
IOVEM AGERE IBI CVM POSSET,
FVLMEN IN HOSTES MALVIT
IACVLARI SESE BELFORTIVS.
ACER IN THRACES RVIT:
ET IN RVINAM THRACVM ACERBAM
VIAM SVIS, CEV FVLMEN,
VEL CADENDO SIGNAVIT.
PARCITE IAM ARDORI BELFORTII:
INCENSO NAMQVE CÆLO,
NE IVPPITER QVIDEM
POTEST FVLMINA CONTINERE.



III.

LÆTVS ERGO MVLTIS OLIM
NASCENTIS IOANNIS DIES,
FRANCISCI BELFORTII
CÆDE FVNESTVS,
BONOS OMNES COËGIT
NVPER AD LACRYMAS?
SED VERA IAM, OCVLI,
SVB MORTIS LARVA DISPICITE.
CHRISTO PRINCIPI IOANNES IN TERRIS,
CHRISTI MILITIBVS
PRODROMVS FVIT IN ASTRA
BELFORTIVS.
EIVS E SANGVINE VOCEM
AVDITE IOANNIS:
CEDITE, FVGITE, BARBARI:
CHRISTVS VINCIT.



IV.

I V.

QVANTVM BELFORTIO
ANIMI FVIT, ET SANGVINIS
QVORVM TOTIES POTVIT ESSE
TAM PRODIGVS!
ET ADHVC CRVORIS FVIT ALTERIVS,
AVRI NEMPE LARGISSIMVS.
HVNC IN EGENORVM STIPE
CHRISTO SÆPIVS CVM DEDISSET,
ILLVM DENIQVE
IN THRACVM OCCIDIONE
PRO CHRISTO TOTVM EFFVDIT.
AN NON BELFORTIVS
THESAVRVM SIBI IN CÆLO
SIC CONDIDIT?
QVO IGITVR ILLE NVNC ABIIT?
QVO SVA PRÆMISIT.



Tem-

TEmpli denique facies, quæ pulla veste erudiebatur ipsa, & alios inuitabat ad luctum, triplici Ianua populum admittit. Harum mediæ, quæ præcipua est, maximaque Gentile imminebat Insigne BELFORTII; quod tribus Lilijs, atque in transuersa, interceptaque ijs zona purpurea totidem Leonibus figuratur. Super Ianuæ Coronam depicta vtrinque subsederant ad dexteram Fidei, ad læuam Roboris Simulacra. In subiecta his tabula quatuor hæc carmina picturam explicabant.

FORTIA BELLA GERENS BELFORTIVS OCCIDIT: ITE
INFERIAS: VOCAT HINC ROBVR, ET INDE FIDES.
ARA PATET CÆLI: PATET ARX TARPEIA: TRIVMPHVM
HÌC VOVET HEROI ROBVR, ET ASTRA FIDES.

In Ianuis vtrinque minoribus, quas idem ornabat Insigne, breuia hæc dicta pendebant.

In dextera.

LILIA VERSA IN SIDERA.

In læua.

ET NVNC LEO FERVET AB ÆTHERE.

In eiusdem Templi ostio laterali.

IN ARA FVLGET VICTIMA CÆLI.

QUINTERNETTO
DI SCOSSA
Per l' Anno 1816.